

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertationes refutatoriae synodalis ab Heinrico Heideggero professore Tigurino adversus sacras

Reding, Augustin

Monasterii Einsidlensis, 1669

Dissertatio XIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-162659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162659)

do venerationem, non aberramus à veritate, & Spiritûs Sancti doctrinâ. Quia porrò imaginû, & Reliquiarû Sacrarû, ipsiusque adeò Crucis exemplatæ tanquàm Christi Domini Crucifixi figuræ, nec non Crucis Christi originariæ partium, utpote ejus contactu sanctificationum, cultus non quidem absolutus, & intransitivus, sed respectivus & transitivus fundamentum habet in verâ fidei ab antiquis veteris Ecclesiæ Patribus expositâ doctrinâ, uti partim *supra Dissert. 3. n. 3.* partim *infra* ostenditur, ideò in hisce omnibus colendis ex Divino fidei Verbo edocti, scimus, quid, & quomodo adoremus, seu colamus.

DISSERTATIO XIII.

Qualiter Heideggerus calumniosè exprobet, asserendo, illam Sacelli Eremitani Dedicacionem institutam fuisse in stabulamentum superstitiosissimarum ad loca sacra Peregrinationum.

L. Heideggerus *cit.* §. 19. calumniatur, quòd illa apparitio & Dedicatur

dicatio Sacelli Einsidlenſis non alio ſine inſtituta ſit, quàm in ſtabilimentum ſuperſtitioſiſſimarum ad loca ſacra Peregrinationum. Quæ atrociffima ad-
verſus Peregrinationes religioſas & vo-
tivas calumnia efficaciter retunditur à
Clariffimo Domino Bernardo Baldinger SS. Theologiæ Doctore, & Collegi-
atæ Eccleſiæ Badenſis in Helvetiâ
Præpoſito in Theologicâ pro Religioſis
& votivis Peregrinationibus diſſertatio-
ne hoc Anno 1669. Badæ Helvetorum
editâ, in quâ refutat omnia, vel ple-
raque argumenta, quæ in ſuâ *Synodali*
Diſſertat. §. præſertim 4. Heideggerus pro-
duxit. Non igitur eſt, cur hac in parte
multum laborem.

II. Unum duntaxat cum bonâ Do-
mini Præpoſiti Baldinger veniâ, hîc
examinandum duxi, quod Heidegge-
rus *cit. §. 4.* ſic expreſſit. Locorum illa,
quæ prætenditur, ſanctitas, cõſiſtere ne-
quit cum fide aſcenſionis Chriſti in cælum,
ut thronum ſuum. Qui enim Chri-
ſtum

stium magis quærit in hoc, quàm alio terrestri loco, & hunc locum alio sanctiorem propter Christi, & meriti ipsius præsentiam hincit, is abnegat fidem ascensionis ejus in cœlum, & sessionis gloriose ad dexteram Dei Patris. Sicut cultus in veteris Testamenti Hierosolymitano templo affixus propter typicam Christi in eo habitationem, indicium præbuit, Sacerdotem nostrum nondum pro nobis ingressum esse cœlum, nequè confedissee in dextrâ sedis magnitudinis in cœlis, uti innuit scriptura *Heb. 8. cap. v. 1. & 2. & 9. cap. ver. 1. 2. 8. 24.* Ita si Christus hodieque ratione efficacis meriti suæ magis hinc, quàm alibi in terris habitat, consummatus Sacerdos non est, neque confedit ad dexteram throni magnificentis in cœlis.

III. Heideggere, in hac *Dissert. Synod. cit. S. 19. n. 5. arg. 3.* probas ex *1. Timoth. v. 5.* oportere, templa nova sanctificari per *Sermonem*, & *preces*, & ita receptum esse in Ecclesiâ quoquè Tigurinâ.

Si ergo minister aliquis Tigurinus sanctificet templum aliquod novum, quæro, an templum taliter sanctificatum sit locus sanctior, quàm popina? Et an talis loci, quæ prætenditur, sanctitas consistere possit cum fide ascensionis Christi in cœlum, ut thronum suum? An talis sanctitas sit ex meritis Christi, vel ab hiscè omninò independens? Si hoc posterius, an non minister Ecclesiæ Tigurinæ sibi attribuat vim templorum sanctificativam independentem à Christi meritis? Si prius, an non major sit meriti Christi præsentia virtualis in tali templo, quàm in popinâ? Et quia ista virtualis Christi meritorum præsentia in templo per reformatum ministrum sanctificato non pugnat cum fide ascensionis Christi in cœlum; quomodo igitur sanctificatio Sacelli Einsidensis per ipsummet Christum Dominum facta pugnabit cum istâ fide sessionis Christi ad dexteram Patris?

IV. Respondebit ille Tigurinus Professor,

fessor, ex eo abnegari fidem ascensionis Christi in cœlum, quòd Christus magis quærat in hoc, quàm in alio loco terrestri. At quæro ex isto Doctore: an non quærat Christum in suo templo Tigurino magis, quàm in publicis plateis, & popinis? At quomodo quærit? non ut realiter præsentem, sed quoad virtutem meritorum efficacius & uberius ibi applicatorum? Nunquid gloriatur, fidem Christi fulgere ibi magis, quàm Constantinopoli in templis Turcicis? Sed ista fides est nè ex meritis Christi? Si hoc; nunquid Christi merita secundum Heideggeri gloriabundam confessionem virtualiter quoad gratiæ effectus ex illis meritis procedentes erunt magis præsentia in templo Tigurino, quàm in templis Turcicis? Nunquid ergo istud adversatur fidei ascensionis Christi in cœlum? Sanè si hoc sit, evacuatur fides Ecclesiæ Tigurinæ, estisque vos Tigurini miserabiliores omnibus hominibus.

V. Opponit Heideggerus ex Heb. 8. cap. 7. 1. & 2. ubi dicitur: *Talem nos habere Pontificem, qui confideat in dexterâ sedis magnitudinis in cœlis, Sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo.* Hinc enim Doctor ille Tigurinus infert; cultum templo alicui exhibitum propter typicam Christi in eo habitationem indicium præbere, Sacerdotem nostrum nondum pro nobis ingressum esse cœlum, neque consedis ad dexteram throni magnificentiæ in cœlis, atque aded abnegare fidem ascensionis Christi in cœlum, & sessionis gloriose ad dexteram Dei Patris, quisquis Christum magis quærit in hoc, quàm alio loco terrestri.

VI. Verùm Heideggere, si hæc tua argumentatio subsistit, non licebit Christum quærere in ullo loco terrestri, cum jam confideat in cœlis ad dexteram Dei Patris. Hoc autem quid esset aliud, quàm omnimodum Christi cultum in terris abolere. Et verò licet Christi hu-
mani-

manitas non sit ubique, uti Ecclesia quocumque Tigurina contra Lutheranos Ubiquitarios nobiscum tradit; contendis tamen, Christum ubique esse æqualiter in terris quærendum. Tua igitur argumentatio vel Christi cultum in terris impiè abolere, vel apertam cum ipsâmet etiam Tigurinæ Ecclesiæ doctrinâ contradictionem involvere convincitur. At dices: Christum in terris adorandum per Spiritum, & fidem ascensionis ejus in cœlum, sedisque ad dexteram Patris. Rogo igitur ex te, an credas, omnes gratiæ effectus in terris procedere ex Christi meritis, atque adeò hæc Christi merita virtualiter esse in hisce gratijs, tanquàm suis effectibus? An credas insuper, hos gratiæ effectus inæqualiter à Deo distribui inter homines? An propter istos gratiæ effectus taliter communicatos adores Christum? An non igitur adores Christum propter virtuales meritorum suorum in diversis locis ac personis inæqualiter partici-

patorum præsentiam? An non istud sit Christum, non quidem secundum realem, sed virtuales meritorum suorum præsentiam magis in uno loco terrestri, quàm in alio quærere?

VII. Instat Heideggerus: Non tam istam virtuales Christi meritorum in terris præsentiam, quàm typicam Christi in templo manufacto præsentiam pugnare cum fide ascensionis Christi in cælum, ejusque sedis ad dexteram Patris. At rursus quæro ex isto Tigurino Professore, an non asserat, Christum *figurativè*, non autem *realiter* esse in Eucharistiâ? An non istud sit quærere Christum in typicâ seu figurativâ præsentia intra Tigurina templa manufacta?

VIII. Excipiet fortassis Heideggerus: hanc figurativam Christi præsentiam non esse ad instar typicæ Christi in templo Hierosolymitano habitationis, ita ut *per modum prognostici* enuntiet Christum venturum, & passurum, cæ-
losque

losque ingressurum, sed esse demonstrativam, & protestativam fidei de Christi adventu, passione, resurrectione, & in cælum ascensione tanquàm jam factis. At nunquid aliquis Pontificiorum Doctorum illam prognosticam veteris Testamenti propriam typicam Christi habitationem in templis suis agnoscit? An non potius omnes Christi figura, ejusque meritorum figurativa ac virtuales præsentia à Pontificijs rememorantur de Christi meritis, suntque protestativa Christi resurrectionis, & in cælum ascensionis, atque ad dextram Patris sessionis tanquam mysteriorum jam peractorum?

IX. Urget Heideggerus ex *Hebr. 9. cap. v. l. 2. & 24.* ubi dicitur, habuisse quidem & prius testamentum justificationes culturæ, & sanctum sæculare; Tabernaculum enim factum esse primum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum, quæ dicitur sancta. At nõ in manufacta sancta Jesum in-

introiſſe exemplaria verorum, ſed in ipſum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. Ex quo Doctor ille Tigurinus inferri contendit, Chriſtum conſummatum Sacerdotem non eſſe, neque conſediſſe ad dexteram throni magnificentiæ in cœlis, ſi hodieque ratione efficaciæ meriti ſui magis hîc, quàm alibi in terris habitat.

X. Verùm quid eſt, Heideggere, quòd in citato ſacro textu dicatur, Chriſtum introiſſe in cœlum, ut appareat vultui Dei pro nobis? Nunquid hoc fit per meritorum ſuorum pro nobis exhibitionem & applicationem? Nunquid igitur hæc meritorum Chriſti applicatio, eorumque efficacia non magis fit in Eccleſiâ Tigurinâ, quàm in templis Turcicis? Nunquid ex eo, quòd Chriſtus jam ſit conſummatuſ ſacerdoſ ſecundùm Apoſtolum *cit. Hebr. 8. v. 2.* neceſſum eſt, habere aliquid, quod offerat? Nunquid hoc ipſum ſunt merita Chriſti in Cruce conſummata? Spe-
raſne

rasne igitur, Heideggere? hæc Christi
merita ad majorem efficaciam pro grã-
tiã effectibus, pro fidei erga Christum
in dexterã Dei Patris sedentem excita-
tione pro te offerri, tibi que applicari
magis in templo Tigurino, quàm in
popinã? Vides proinde, quàm inanis
sit fides tua, quàm vacua sit spes tua,
qui asseris, fidem ascensionis Christi,
ejusque ad Dei Patris dextram sedis eva-
cuari, si ratione efficaciam meritorũ suo-
rũ Christus magis habitet in templo Ti-
gurino, quàm in popinis, & templis Tur-
cicis. Quare argumentatio tua nullatenus
valet, quò minus asserere liceat,
Christum Dominum virtutem & effica-
ciam meritorum suorum Divino Ein-
sidensi Sacello præ alijs sacris locis mor-
raliter eatenus impressisse, ut eorum
intuitu hunc sanctum locum devotè
invisentibus gratiarum, & beneficio-
rum effectus mirabiles quotidie
conferantur.

DIS-